

plicatum simul obsignare & confirmare. Audire non pigebit magnum Chemnitium his verbis nostram de effectu Sacramentorum doctrinam proponentem: *Sacramenta beneficia (redemptionis) in verbo nobis proponunt, offerunt & exhibent & obsignant, atq; ita ducunt nos ad Christum, ad gratiam Dei, ad efficaciam Spiritus, Exam. Conc. Trid. part. 2. de efficac. Sacramentorum, ad Canon. 7. item eod. in loco: Sacramentum est medium, Organum seu instrumentum, per quod Spiritus Sanctus efficax est, proponens, offerens, exhibens, distribuens & applicans meritum Christi & gratiam Dei ad salutem omni credenti. Rursus ibid. una manus Dei est, quâ per verbum & Sacramenta, in verbo offert, exhibet, applicat atq; obsignat credentibus beneficia redemptionis. Eodem planè modo Dn. D. Menzerus Disput. V. Tom. 2. Giess. §. 68. Et post illum Dn. D. Gerhardus distinctè fines seu effectus Sacramentorum proponens facit principalem priorem, Organum, medium & ὄργανον esse, per quod Deus offert, exhibet & credentibus applicat promissionem Evangelii propriam de remissione peccatorum, justitia & vita æterna: posteriorem σφραγίδα, sigillum & signaculum esse promissionem divinæ gratiæ credentibus exhibitam obsignans. Et subjicit: in Sacramentis enim Deus gratiam suam offert, oblatam credentibus applicat & applicatam ejusdem obsignat, Loc. de Sacram. §. 87. Argumenta apud dictos autores & reliquos orthodoxos magno numero adducta videri possunt. Unicum hoc loco notandum. Sicut verbum est organum Spiritus Sancti, quo mediante efficaciter hominis salutem operatur, Rom. I. 16. ita Sacramentum, quod nihil aliud est, quàm Verbum Dei visibile (August.) seu verbum ritibus & ceremoniis vestitum (constat enim actione verbo Dei determinatâ cum annexa promissione, de quo in singulis Sacramentis, uti mox demonstrabitur) ejusdem est operationis. Id est, quod Apologia August. Conf. dicit, eundem esse effectum, eandem virtutem & efficaciam & verbi & Sacramentorum, quæ sunt sigilla promissionum. Minus igitur est, hanc Sacramentorum operationem vel per commonefactionem quandam, vel per significationem explicare, vel etiam per obsignationem gratiæ sed antea collatæ aut post conferendæ; nisi hoc credatur & addatur, quòd illam gratiam simul de præsentis conferant & exhibeant. Deus enim nos salvos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis, Tit. III. 5. En medium ex parte Dei, cujus beneficio salus contingit.  
In*